7

AVDOMARI
Talæi Rhetorica,

E

BENE DICENDI VSV AC
conſuetudine obſeruata, & varijs præ-
lectionibus breuiter explicata.

PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA STEPH. PREVOSTEAV,
IN VIA AVRIGARVM E REGIONE
TRIVM CRESCENTIVM.
M. D. XCIX.

AVDOMARI TALÆI RHETORICÆ LIBER PRIMVS.

De Elocutione: & primò de Tropis.

Cap. 1. Quid Rhetorica, & quanta eius vis.

RHETORICA *eſt ars bene dicendi.*

Cap. 2. de partibus Rhetoricæ.

Partes Rhetoricæ duæ ſunt, Elocutio, & Pronuntiatio ſiue Actio.

Cap. 3. Quid Elocutio, quot eius ſpecies: & primùm de Tropo, eiúſque qualitatibus.

Elocutio eſt orationis exornatio: éſtque Tropus aut Figura. Tropus eſt Elocutio, qua verbum à natiua ſignificatione in aliam immutatur. Sed tamen verecundus debet eſſe tropus, vt deductus eſſe in alienum locum non irruiſſe, atque vt precario, non vi veniſſe videatur

Quòd ſi durior vel inæqualior fuerit, κατάχρησις *abuſio,* ἀκυρολογία *grãmaticis dicitur. Si autem audax fuerit tropus,* ὑπερβολὴ *ſuperlatio appellatur: Si verò cõtinuatus (cuius ornatus maximus quidẽ eſt) & coniunctus,* ἀλληγορία *inuerſio nominatur. Sed in allegoria tenendum eſt illud, vt quo ex genere rerum cœperis, eodem deſinas: ſecus in conſequentia fœdiſſima fuerit, ait Quintilianus.*

Cap. 4. de Metonymia cauſſæ.

Troporum genera quatuor ſunt, Metonymia & Ironia, Metaphora & Synecdoche. Metonymia eſt tropus cauſſæ ad

effectum, ſubiecti ad adiunctum, vel contra. Metonymia cauſſæ eſt, cùm ex efficiente veluti inuentore & auctore, aut ex materia ipſæ res effectæ ſignificantur: vt 1. Æneidos:

Tum Cererem corruptam vndis, Cerealiaque arma
Expediunt *: id eſt fruges. Pro Marcello: Quos amiſimus ciues, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ. Martis, id eſt, prælij. Georg. 1.*

Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem: *id eſt, igne. Terent. in Eun.* Sine Cerere & Libero friget Venus: *id eſt, ſine cibo, & vino amor friget, allegoria hîc eſt. Vulcanum pro igne vulgò audiuimus, & vario Marte pugnatum eruditus eſt ſermo, & Venerem, quàm amorem dixiſſe magis decet: ita Liberũ & Cererem dicimus pro vino & pane licentiùs, quàm vt fori ſeueritas ferat, ait Quintilianus lib. 8. cap. 6.*

Eſt præterea hîc valdè vſitatum, ſcriptores pro ſcriptis operibus appellare: Sic Mart. 14. appellat Liuium pro hiſtoria à Liuio ſcripta:

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit:

Metonymia materiæ, vt Horat. Epiſt. 2. lib. 1.

Non domus & fundus, non æris aceruus & auri
Ægroto domini deducit corpore febres.

Iuu. ſaty. 14.

Hic laudat argentum, vaſa aſpera tergeat alter.

Hîc æs & aurum, pro nummis æneis, & aureis, argentũ verò pro vaſis argenteis vſurpantur. 2. de Legib. Æs & ferrum duelli inſignia ſunt, non fani: Hic æs & ferrum pro æneis & ferreis armis. Verr. 6. Cùm eſſent triclinia ſtrata, argentúmque expoſitum in ædibus: argentum ſignificat hîc argenteam ſupellectilem.

CAP. 5. de Metonymia effecti.

Metonymia effecti eſt, cùm ex effectis efficiens ſignificatur: vt Agr. 2. Nolo ſuſpenſam & incertam plebem Romanam obſcura ſpe, & cęca expectatione pendere: Spes obſcura dicitur, quia reddit incertos ſperantes: & expectatio cæca, quia cæcos & ignaros expectantes reddit. Horat. lib. 1. Od. 4.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regúmque turres, ô beatæ Seſti.

Pallidum propriè dicitur, quod palleſcit: ſed in hoc exemplo pallida mors dicitur, quæ pallidum mortuum efficit. Item Æneid. 6.

Pallentéſque habitant morbi, triſtíſque ſenectus.

Sic Orator pręcipitem iram, hilarem adoleſcentiam, ſegne otium dixit, ait ibidem Quintilianus. Imò verò hinc & Oratorum, & Poëtarum plurima epitheta ſunt.

CAP. 6. de Metonymia ſubiecti.

Metonymia ſubiecti eſt eſt cùm ex ſubiectis res adiunctæ ſignificantur: vt cùm ponitur continens pro re contenta. & cum locus pro ipſis incolis vſurpatur: vt Æneid. 2.

Inuadunt vrbem ſomno, vinóque ſepultam.

Cat. Vrbs pulcherrima, florentiſſima, potentiſſima. In Piſ. Quod in me carcerem effudiſtis, id eſt, qui in vinculis & carcere erant, vel digni carcere. Aliter etiam locus ad res locatas traducitur: vt 1. de Orat. Age verò, ne ſemper forum, ſubſellia, roſtra, curiam mediteris: id eſt, actiones rhetoricas in foro, in ſubſelliis, in roſtris, in curia: quæ allegoria eſt.

Ex hoc genere etiam eſt illud, cùm ex poſſeſſore poſſeſſa res intelligitur: vt Æneid. 2.

——Iam proximus ardet
Vcalegon.——*id eſt, Vcalegonis domus. In proſa*

longè frequentiſſimum eſt: vt Horat. Apud me eſt*: id eſt, domi meæ. Cicero, Ego cùm triduo cum Pompeio, & apud Pompeium fuiſſem. Idem, Malo tecum apud te ambulare: id eſt, domi tuæ.*

Sic dicimus hominem deuorari, cuius patrimonium deuoratur, ait Quintilianus: & ſic Terent. in Heaut.

Quid te futurum cenſes, quem aſſiduè exedent?

Sic ab Annibale cæſa apud Cannas ſexaginta millia Romanorum dicimus, quia ab exercitu, cuius dux erat Annibal, cæſa ſunt.

Sic litigantium clientum aduocati, perſonas ſuas pro clientum perſonis vſurpant: Vt pro Cæcin. Reſtituiſſe te dixti: nego me edicto Prætoris reſtitutum eſſe. Sic Cicero Piſonem aduocatum patris aduerſæ alloquitur, tanquam Ebutius id diceret Cæcinnæ.

CAP. 7. de Metonymia adiuncti.

Metonymia adiuncti eſt, cùm ex adiunctis res ſubiectæ ſignificantur. Sic nomina virtutum ipſarum pro bonis viris, & vitiorum pro malis, & multarum aliarum rerum pro perſonis quibus adiunctæ ſunt, vſurpantur: vt 1. Verr. Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis efficere potuiſſet, eas omnes ſeſe hoc vno Prætore per triennium pertuliſſe. Luxuries pro luxurioſo ponitur, crudelitas pro crudeli, auaritia pro auaro, ſuperbia pro ſuperbo: & continuatio quatuor metonymiarũ allegoriam facit. Sic idem dixit in Piſonem, Cedant arma togæ: intelligit enim bellum ac tumultum paci atque otio conceſſurum.

Sic ſignum pro re ſignificata ponitur, vt pubes pro iuuentute: Pro Mil. Cui omnem Italiæ pubem.

Sic adiunctum temporis pro ſubiectis: vt 1. Catil. O tempora, ô mores, pro perditis temporum & malè moratis ciuibus. 1. Æneid.

Aſpera tum poſitis miteſcent ſecula bellis.

Ex hoc genere metonymiæ ſunt illa Ciceronis hyperbolica: ô ſcelus! ô labes! ô audaciam incredibilem! & ſimilia.

Aliquando in vno verbo metonymia duplex eſt: vt Pro Marcel. Victoriæ ferocitatem extimeſcere, pro ferocem victoriam, modus eſt quartus: & ferocem victoriam, quæ faciat victorem ferocem, ſecundus modus eſt.

Cap. 8. de Ironia.

Ironia eſt tropus, cùm è contrario ſignificatur contrarium: Percipitur autem ironia vel rei, vel pronuntiationis, vel vtriuſque diſſentione: Nam ſi altera, vel vtraque diſſentit à verbis, apparet voci mentem eſſe contrariam.

Genera ironiæ (ſi qua ſint) contrarijs diuiduntur. Eius verò libertas magna eſt in his formulis: vt Terent. in Eun.

Heus bone vir, curaſti probè.

Centurioni à pugna abſentiam excuſanti, quod in caſtris cuſtodiæ cauſſa remanſiſſet: Non amo (dixit Africanus) nimium diligẽtes. Sic cùm Lamia deformis interpellaret odioſè: Audiamus (inquit Craſſus) pulchellum puerum: Cùm eſſet arriſum: Non potui mihi (inquit Lamia) formam ipſe fingere, ingenium potui. Tum hic, Audiamus (inquit Craſſus) diſertum: multò etiam arriſum eſt vehementiùs. Generis huius eſt illa ſimulatio: Liberatus ſum Reſpiraui, Bene habet.

Sed εἰρωνεία continuata facit allegoriam gratiorem. In Clodium, integritas tua te ſeruauit (mihi crede) pudor eripuit, vita anteacta ſeruauit. Verr. 3. Dum eſt vnde ius ciuile diſcatur, adoleſcentes ei in diſciplinam tradite. mirum eſt homi-

nis ingenium, mira prudentia Æneid. 4.

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuque puérque tuus: magnum & memorabile nomẽ
Vna dolo diuûm ſi fœmina victa duorum eſt.

Hîc & rei, & vocis, ſi oratio bene proferatur, diſſentio manifeſta eſt.

Eſt & Ironia, quæ παράλειψις, *præteritio quibuſdam dicitur, vt in his formulis, prętereo, mitto: Pro Pomp. Sinite hoc loco, Quirites, (ſicuti poëtæ ſolent, qui res Romanas ſcribũt) præterire me noſtram calamitatem: quæ tanta fuit, vt eam ad aures L. Luculli, non è prælio nuntius, ſed ex ſermone rumor afferret. 8. Æneid.*

Quid memorem infandas cędes? quid facta tyranni
Efferam? Et 10.
Quid repetam exuſtas Erycino in littore claſſes,
Quid tempeſtatum Regem, ventoſque furentes
Æolia excitos? aut actam nubibus Irim?

Pro Clu. Mitto illam primam libidinis iniuriam, mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate matris expulſam matrimonio filiam, &c. Nihil de alteris Oppianici nuptiis queror: Prætereo quòd eam ſibi domum ſedémque delegit, in qua quotidie ſuperioris viri, mortis indicia, & ſpolia fortunarum videret.

Ironia denique eſt, quæ ἀπόφασις, *negatio dicitur: Non agam tecum iure ſummo, non dicam quod fortaſſe obtinerem. Verr. 1. Nec ea dico, quæ ſi dicam, tamen infirmare non poſſis, &c. Sunt hæc & alia in te falſi accuſatoris ſigna permulta, quibus ego non vtor. Hîc, Nec ea dico, Non vtor,* ἀπόφασιν *ſimilem habent.*

Cap. 9. de Metaphora.

Metaphora

Metaphora eſt tropus, quando ex ſimili ſignificatur ſimile. Itaque metaphora eſt ad vnum verbum contracta ſimilitudo. Nihil eſt autem in rerum natura vnde ſimile duci non poſſit, indéque ideò & metaphora: vt à rebus diuinis, ab elementis, ab animalibus, reliquíſque rebus. Pro Seſt. Cuius ego patrem Deum atque parentem ſtatuo fortunæ nominiſq; mei: hîc tanquam Deum & parentem intelligis. 1. Tuſc. Honos alit artes, omnéſque incenduntur ad ſtudia, gloria. Æn. 4.

ſpem fronte ſerenat. *Item,*

Magnóque irarum fluctuat æſtu.

2. de Orat. Vt ſementem feceris, ita metes. In Brut. Latrant quidem Oratores, non loquuntur. In Piſonem, cùm de Epicureo voluptatis magiſtro agitur, ad illius hanc orationem adhinniit.

Hyperbole verò & Allegoria in metaphora præcipuam laudem obtinent, & hîc vulgò etiam præcipuè collocantur: Atque ex hyperbolica metaphora oritur mira ſublimitas orationis, cùm rebus inanimatis actum quendam & animos damus, vt Ariſt. 11. Cap. 3. Rhet. admonuit: deinde Quintilianus lib. 8. Cap. 6. Æn. 1.

——Geminíque minantur

In cœlum ſcopuli.——*Item Æn. 8.*

——Pontem indignatus Araxes.

Pro Marcello: Parietes medius fidius C. Cæſar, vt mihi videntur, huius curiæ tibi gratias agere geſtiunt.

Allegoriæ multò ſunt hîc illuſtriſſimæ: vt Philip. 4. Virtus eſt vna altiſſimis defixa radicibus, quæ nunquam vi labefactari poteſt, nunquam dimoueri loco. 3. Catil. Memoria veſtra, Quirites, noſtra res alentur, ſermonibus creſcent, li-

terarum monimentis inueteraſcent, & corroborabuntur. Ver. 4. Ipſe inflammatus ſcelere, venit in forum: ardebant oculi, totóque ex ore crudelitas emicabat. Hor. 1. Od.

O nauis, referent in mare te noui fluctus:

O quid agis? fortiter occupa portum.

De Oratore: Quare Coracem iſtum veſtrum patiamur nos quidem pullos ſuos excludere è nido, qui euolent clamatores odioſi ac moleſti. In Piſ. Neque tam fui timidus, vt qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reip. nauem gubernaſſem, ſaluámque in portu collocaſſem, frontis tuæ nubeculam, aut collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. Alios ego vidi ventos, alias proſpexi animo procellas, aliis impendentibus periculis non ceſſi: ſed vnum me pro omnium ſalute obtuli. Frontis nubeculam, & contaminatum ſpiritum, hyperbolicam elationem habent.

CAP. 10. de Synecdoche membri, & integri.

Synecdoche eſt tropus, cùm ex parte totum, aut contrà ſignificatur. Synecdoche partis eſt membri vel ſpeciei, vt contrà Synecdoche totius eſt integri vel generis. Synecdoche membri eſt, quando ex membro integrum ſignificatur: vt Philip. 2. O tecta ipſa miſera, quàm diſpari domino (quanquam quomodo iſte dominus?) ſed tamen quàm à diſpari domino tenebantur! Virgil. Æneid. 1.

Haud aliter puppéſque tuæ, pubéſque tuorum.

Proſa mucronem pro gladio, & tectum pro domo recipiet: non autem puppim pro naui, nec abietẽ pro tabellis, ait Quintilianus lib. 8. cap. 6.

Allegoria quędam hîc eſt: vt Catil. 1. Nullo me modo poſſe iiſdem parietibus tutò eſſe tecum, qui in magno periculo eſſem, quòd iiſdem mœnibus contineremur. Hic parietes pro

domo, mœnia pro vrbe intelligis. Idem : multorum te oculi & aures non ſentientem, ſicut adhuc fecerunt, ſpeculabuntur, atque cuſtodient. hîc oculi & aures, pro oculatis & auritis hominibus.

Contrà Synecdoche integri eſt, quando ex integro ſignificatur membrum : vt Æneid. 2.

Pabula guſtaſſent Troïæ, Xantúmque bibiſſent

hîc intelligis, & partem pabuli & pàrtem Xanthi fluuij: non tota pabula, non totum Xanthum. Eclog. 1.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrin.

Epiſt. 1. lib. 4. Rem vides quomodo ſe habeat, orbem terrarum diſtributis imperiis ardere bello : orbem pro globo, ſynecdoche eſt membri pro integro : & orbem pro parte orbis, eſt ſynecdoche contraria integri pro membro, id eſt pro imperio Romano.

CAP. 2. de Synecdoche ſpecici, & generis.

Synecdoche ſpeciei eſt, cùm ex ſpecie ſignificatur genus: vt, Catil. 1. Certè verendum non erat, ne quid hoc parricida ciuium interfecto, inuidiæ mihi in poſteritatem redundaret.

Sic finitum numerum dicimus pro magno : Plaut.

Sexcenta licet eiuſmodi proferre. *Orat. 2. Cuius ex ludo tanquam ex equo Troïano innumeri principes exierunt.*

Sic numerus ſingularis ponitur pro plurali, quomodo ſæpe eſt in Liuio, Romanus prælio victor : Georg. 3.

Haud ſecus, ac patriis acer Romanus in armis.

Item Orat. 1. Quid tam neceſſarium eſt, quàm tenere ſemper arma, quibus tectus eſſe poſſis? id eſt poſſimus, vel quilibet poſſit.

Allegoria hîc eſt frequentior : vt Agr. 2. Cùm haberet hæc Reſpublica Lucinos, Calatinos, Acidinos, homines non

ſolùm honoribus populi rebúſque geſtis, verùm etiam patientia paupertatis ornatos, & tu cùm erant Catones, Philippi, Lælij, quorum ſapientiam temperantiámque in publicis priuatíſque, forenſibus domeſticíſque rebus perſpexeratis: tamen eiuſmodi res commiſſa eſt nemini. Hìc Lucini, Calatini, Acidini, pro ciuibus honoratis & pauperibus: Catones, Philippi, Lælij, pro ſapientibus & temperatis vſurpantur. Talis in Iuuenale Saty. 2. Allegoria eſt:

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt.

Hìc Sauromatas, & glacialem Oceanum *dixit, pro quolibet remotiſſimo loco: Curios pro temperatis: Bacchanalia pro quolibet intemperantiæ genere.*

Contrà Synecdoche generis eſt, quando ex genere ſignificatur ſpecies: vt Pro Marc. Et certè in armis, militum virtus multum iuuat: virtus pro fortitudine. 2. Catil. Sine dubio perdidimus hominem, magnificéque vicimus: hominem dicit pro Catilina. Ver. 3. Ad quam ſpem tam perniciosum, tam importunum animal reſeruetis? Animal pro beſtia dixit Orator. Nec tamen quidlibet hic audebis, vt dicas pro equo quadrupedem, ait Quintilianus. Sic Tydides & Pelides, pro Diomede & Achille: ſic Poëta, pro Homero aut Virgilio: Orator, pro Demoſthene aut Tullio.

Sic pluralis pro ſingulari, ad Brutum: Nos populo impoſuimus, & Oratores viſi ſumus.

Allegoria hìc etiam frequens eſt: Catil. 1. Exire ex vrbe Conſul hoſtem iubet. His generalibus verbis, vrbe, conſul, hoſtem, intelligis Roma, Tullius, Catilinam.

C A P. 12. Quid figura, quot eius ſpecies, & de figura dictionis in ſonorum dimenſione: ac primùm de Rhytmo.

Expoſito in tropis primo genere Elocutionis, ſequitur vt de figura ſecundo loco dicendum ſit. Figura eſt elocutio, qua orationis habitus à recta & ſimplici conſuetudine mutatur. Figura eſt dictionis aut ſententiæ.

Figura dictionis eſt figura, qua elocutio figuratur dictionibus aptè & iucundè inter ſeſe reſonantibus: itaut figura dictionis nihil aliud ſit, quàm numerus & ſonus elocutionis, qui eſt in ſonorum dimenſione tum poëticus tum oratorius, vel repetitione. 3. Numerus poëticus eſt, qui perpetuis certorum ſpatiorum legibus aſtringitur, & ferè in fabuloſis argumentis ad hominum mores imitandum & exprimendū, vt Rhytmus, & Metrum. 4. Rhytmus eſt numerus poëticus, certum ſyllabarum numerum certa clauſula terminatum continens.

C A P. 13. de Metro, & Pedibus.

Metrum eſt numerus poëticus certos pedes & certis locis collocatos continēs. Pes eſt dimenſio certis ſyllabarū temporib⁹ definita: éſtque diſſyllabus aut triſſyllabus: Diſſyllabus eſt Pyrrhichius è duabus breuibus, vt DEVS, *contrà ſpondæus è duabus longis, vt mūsās: aut iambus è breui & longa, vt* Deōs: *contrà Choræus è longa & breui, vt* armă.

Triſſyllabus eſt Trochæus è tribus breuibus, vt legere, *contrà Moloſſus è tribus longis, vt* Rōmānōs: *aut Anapeſtus è duabus breuibus & longa, vt* fluuiōs, *contrà dactylus è longa, & duabus breuibus vt* Tityre: *aut Bacchius è breui & duabus longis, vt* athēnās, *contrà Palimbacchius è duabus longis & breui, vt* cantāre: *aut denique Amphibrachus è breui longa breui, vt* amāre, *contrà Creticus è longa breui longa, vt* indicēs.

Ergo hæc de pedibus quorum dimenſione Metrum compo-

Arma virúmque cano, Troiæ qui primus ab oris.

Verùm Elegum ab Epico nunquam ſeparatur, quamuis epicum ab eo ſeparetur: vt,

Neſcio quid plus eſt, quod donat ſecula chartis.
Victurus genium debet habere liber.

CAP. 14. de Numero Oratorio.

Numerus poëticus expoſitus eſt: Oratorius eſt numerus quidem non incertus, ſed tamen & poëtico, & ſibi ipſi perpetuò diſſimilis: Rhytmi nil admodum habet (niſi fortè in quadam repetitione, de qua ſuo loco) totus eſt in obſeruatione pedum. Oratorij autem numeri gratia, hyperbaton, id eſt longior verbi tranſgreſſio permittitur. Fit enim (ait Fabius) ſæpiſſimè aſpera, & dura, & diſſoluta, & hians oratio, ſi ad neceſſitatem ordinis verba redigantur: & vt quodque oritur, ita proximis, etiam ſi vinciri nõ poteſt, alligetur, &c. Vnica autem conſideratio hîc eſt eáque generalis, vt proſæ numerus ſit non ſolùm poëtici numeri, ſed etiam ſui ipſe diſſimilis. In proſa itaque verſum fugito: citare tamen licet aliunde auctoritatis aut voluptatis gratiâ, vt Tullius præſertim ſenex, Athenienſium philoſophorum exemplo adductus (vt ait Tuſc. 2. de ſeſe) frequenter citauit: hoc eſt primùm. Deinde principium & exitum carminis, ne principium vel exitum proſæ facito: Principiorum verò cura minor: mediorum autem alioqui nulla eſt magnopere obſeruatio: in clauſulis verò periodorum maximè perfectio atque abſolutio iudicatur: Numerum igitur eundem ſenis à fine ſyllabis retrorſum longiùs ne continuato, ſed variè diſſimiliterque temperato: Ex longis omnibus clauſula tardior & rarior eſt: vt (Et ſpinis reſperſa) tres ſpondæi ſunt: rariſſima ex omnibus breuibus: at ex temperatione longarum & breuium moderatior & frequentior.

Res tota Ciceronis in Oratore. loco declaretur. Stante Cic. C. Carbo, C. filius Trib. Pleb. in concione dixit his verbis: O Marce Druſe patrem appello: Hæc quidem duo binis pedibus inciſa, in priore eſt dichoreus: in poſteriore, ferè omnes longæ. Deinde membratim, Tu dicere ſolebas: ſacram eſſe Rempublicam. Hæc duo membra, ternis pedibus variata, in priore ſunt, choræus pyrrichius, ſpondæus in poſteriore choræus ſpondæus: iambus Quicunque eam violaſſet, ab omnibus ei pœnas eſſe perſolutas. Hîc tres chorœi continuati: nihil enim ad rem extrema illa longa ſit, an breuis, vt Tullius etiam nominatim profitetur. Deinde, Patris dictum ſapiens, temeritas filij comprobauit. Hîc iambum ſequitur dichoręus: quo talis clamor concionis eſt exitatus, vt admirabile eſſet. Quære, nónne id numerus effecerit? Verborum ordinem immutato, & fac ſic, Comprobauit filij temeritas: iam nihil erit. Hîc dichoræi numerus Ciceroni gratiſſimus fuit, & in clauſulis admodum frequentatus: vt in vna pro Pompeio oratione centies decies & quater adhibitus ſit: in Corneliana 2. O callidos homines! dichoræus eſt & iambus. O rem excogitatam ſpondæus & dichoræus. O ingenia metuenda! duo pyrrichij & choræus. Pro Milone: Neque auxilium modò defenſioni meæ, verumetiam ſilentium pollicentur: iambus & choręi duo. Denique in oratorio pedum numero literarum bonitas obſeruanda maximè quidem eſt, quæ præſtantior per ſe videtur atque excellentior, quàm ipſa ſyllabarum menſura. Numeri enim illius gratia non ſolùm ducitur è pedibus ſyllabarum, ſed è ſonis literarum, quæ vel grandiores, vel magis confertæ in clauſula reſonant. Neque verbi clauſula id efficit: nam (probet) tam verbum eſt, quàm (improbare). Quare in tota oratorij numeri laude, quæ permagna eſt, literarum ſoni primas obtinebunt.

Cap. 15.

CAP. 15. de Epizeuxi.

Figura dictionis ſeu numerus in ſonorum dimenſione eiuſmodi eſt: ſequitur qui eſt in repetione ſonorum, & quidem ſimilium aut diſſimilium. Numerus in repetitione ſonorum ſimilium eſt Epizeuxis, Anadiploſis, & Anaphora: Epiſtrophe, Epanalepſis, & Epanodos. Epizeuxis eſt, quando ſonus idem continuè iteratur in eadem ſententia: vt de reſpon. Aruſp. Hic P. ille Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiúmque Carthaginis, qui illam à multis Imperatoribus obſeſſam, oppugnatam, labefactatam, penè captam aliquando quaſi fatali euentu ſolus euertit: ſic Titus Annius ad illam peſtem comprimendam, extingendam, funditùs delendam natus eſſe videtur & quaſi diuino munere donatus Reip.

Hîc ſolùm ſonus non vox iteratur: in ſequentibus voces iterantur: Ver. 7. Crux, crux (inquam) infelici & miſero. Terent. in Andr. O Myſis, Myſis! Item pro Ligario: Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non eſſet, quantam per te, per te (inquã) obtines (intelligo quid loquar) acerbiſſimo luctu redundaret iſta victoria. Pro Milone: Occídi, non Spurium Melium, qui annona leuanda, iacturíſque rei familiaris, quia nimis plebem amplecti putabatur, in ſuſpicionem incidit regni appetendi. Virg. Eclog. 5.

Ipſa ſonant arbuſta, Deus. Deus ille Menalca,
Sis bonus, o felíxque tuis.

Interdum parentheſis interponitur: res tamen eodem recidit, quia tanquam parentheſis non ſit, geminatio illa continuatur: Phil. 2. Haſta poſita pro æde Iouis Statoris, bona (miſerum me, conſumptis enim lachrymis, tamen infixus animo hęret dolor) bona (inquam) Cn. Pompeij Magni, voci acerbiſſimę ſubiecta præconis, Pro Marcello: At verò

tius gloriæ, C. Cæſar, quam paulò antè es adeptus, ſocium habes neminem: totum hoc, quantumcunque eſt (quòd certè maximum eſt) totum eſt (inquam tuum.

CAP. 16. de Anadiploſi.

Anadiploſis ſiue reduplicatio eſt, quando idem ſonus continuè quoque repetitur, in fine præcedentis & principio ſequentis ſententiæ: vt Virg. Eclog. 10.

Pierides vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas.

Hæc figura ter iteratur, & eodem verbo Catil. 1. Hic tamen viuit: viuit? imò verò etiam in Senatum venit. Item, viuis, & viuis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Item, Quandiu quiſquam erit, qui te defendere audeat, viues, & viues ita, vt nunc viuis.

Anadiploſis autem compluribus gradibus continuata, Climax, gradatio dicitur: Itaq; genere eodem eſt. Ouid. 3. Faſtor.

Mars videt hanc, viſámque cupit, potitúrq; cupita.

Pro Mil. Nec verò ſe populo ſolùm, ſed Senatui commiſit: nec Senatui modò, ſed etiam publicis præſidiis & armis: neque his tantùm, ſed eius poteſtati, cui Senatus totam Remp. commiſit. Eclog. 2.

Torua leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam:
Florentem cytiſum ſequitur laſciua capella.

Pro Sex. Roſcio Amerino: In vrbe luxuries creatur: ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt: ex auaritia erumpat audacia: vnde omnia ſcelera & maleficia gignuntur. Auctor ad Heren. Nam quæ reliqua ſpes libertatis manet, ſi illis, & quod libet, licet: & quod licet, poſſunt: & quod poſſunt, audent: & quod audent, faciunt: & quod faciunt, vobis moleſtum non eſt?

CAP. 12. de Anaphora.

Anaphora ſeu relatio eſt, quando ſonus idem iteratur in principiis ſententiarum: vt Agr. 2. Tamen ne vexari Rempublicam, contemni maieſtatem populi Rom. deludi voſmetipſos diutiùs à Tribuno plebis patiemini? Agr. 1. Solicitam mihi ciuitatem ſuſpicione, ſuſpenſam metu, perturbatam veſtris legibus, & concionibus, & ſeditionibus tradidiſtis.

Inſequentibus vox ipſa iteratur, vt Catil. 1. Nihílne nocturnũ præſidiũ palatij, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum ciuium, nihil munitiſſimus habendi Senatus locus, nihil horum ora vultúſque mouerunt? Georg. 4.

Te dulcis coniux, te ſolo in littore ſecum,
Te veniente die, te decendente canebat.

Pro Amer. Accuſant ij, qui in fortunas huius inuaſerunt: cauſſam dicit is, cui nihil præter calamitatem reliquerunt. Accuſant ij, quibus occidi patrem Sexti Roſcij bono fuit: cauſſam dicit is, cui non modò luctum mors patris attulit, verùm etiam egeſtatem. Accuſant ij, qui hunc ipſum ſummè iugulare cupierunt: cauſſam dicit is, qui etiam ad hoc iudicium cum præſidio venit, ne hic ibidem ante oculos veſtros trucidaretur. Denique accuſant ij, quos populus poſcit: cauſſam dicit is, qui vnus relictus ex nefaria illorũ cæde reſtat. Eclog. 1.

Pan primus calamos cera coniungere binos
Inſtituit: Pan curat oues ouiúmque magiſtros.

CAP. 18. de Epiſtrophe.

Epiſtrophe ſeu conuerſio eſt, quando ſimilis ſonus in clauſulis iteratur: vt pro Pompeio: Vt eius voluntatibus non modò ciues aſſenſerint, ſocij obtemperarint, hoſtes obedierint: ſed etiam venti tempeſtatéſque obſecundarint. Hîc tria prima

membra ferè ſenaria ſunt, poſtremum eſt longius. Neque æqualitatis ſimilitudo ſic exigenda eſt. Agr. 1. Vt veſter honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienæ petitionis occaſionem intercæptus, nec diuturnis præcibus efflagitatus, ſed dignitate impetratus eſſe videatur. Sed à Cicerone ipſo poſitum tam concinni orbis exemplum expendamus: pro Mil. Eſt enim hæc, iudices, non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex ipſa natura arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non iſtituti, ſed imbuti ſumus. Hîc quater bini tanquam verſus, æqualibus ferè interſpirationibus interpuncti reſonant: duo primi ternarij (non ſcripta ſed nata) duo ſequentes plusquam duodenarij: duo ſequentes iterum ternarij, poſtremi quaternarij. Sed in propoſitis exemplis ſonus tantùm ſeruatur, non etiam dictio: in ſequentibus autem dictio ipſa iteratur: vt Philip. 2. Doletis tres exercitus pop. Rom. eſſe interfectos? interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos ciues? eos quoque eripuit Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius Mart. lib. 2.

Capto tuam (pudet heu) ſed capto Maxime, cœnam:
Tu captas alias: iam ſumus ergò pares.
Manè ſalutatum venio: tu diceris iſſe
Ante ſalutatum: iam ſumus ergo pares.
Sum comes ipſe tuus, tumidíque anteambulo regis:
Tu comes alterius: iam ſumus ergo pares.

Figura verò compoſita ex anaphora & epiſtrophe hîc comprehenditur, & Synploce ſeu complexio nominatur. Agr. 4. Spem improbis oſtendiſtis, timorem bonis inieciſtis, fidem de foro, dignitatem de Rep. ſuſtuliſtis. Agr. 2. Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem populi partem ſuffragiis

priuauit? Rullus. Quis comitiis præfuit? idem Rullus. Pro Mil. Quis eos poſtulauit? Appius. Quis produxit? Appius.

CAP. 14. de Epanalepſi.

Epanalepſis ſeu reſumptio eſt, quãdo idẽ ſonus in principiis clauſulis iteratur: vt Verr. 4. Saluti enim eorum potiùs conſulam, quàm voluntati. 1. Philip. Illa erat vita, illa ſecunda fortuna, libertate eſſe parem cum cæteris, principem dignitate. Sed in ſequentibus dictio ipſa repetitur: Verr. 7. Multi & graues dolores inuenti, parentibus & propinqui multi. Æneid. 1.

Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.

Martial.

Phoſphore, redde diem: quid gaudia noſtra moraris?
Cęſare vẽturo Phoſphore redde diẽ. *Iuuen. Satyr.* 14.
Creſcit amor nummi, quãtum ipſa pecunia creſcit.

CAP. 20 de Epanodo.

Epanodos ſeu regreſſio eſt, quando ſonus in principio & medio, vel in medio, & fine iteratur: vt Verr. 3. Habuit honorem vt proditori, non vt amico fidem. Pro Planc. Gratiam qui refert, habet: & qui habet, in eo quod habet, refert. Pro Cecinna: Quia res indigna ſit, ideo turpem exiſtimationem ſequi: quia turpis eximatio ſequitur, ideo rem indignam non vindicari. Eclog. 8.

——crudelis tu quoque mater:
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.

Cic. Veſtrum iam hîc factum deprehenditur P. C. non meum: at pulcherrimum quidem factum: verùm (vt dixi) non meum, ſed veſtrum.

CAP. 21. de Paronomaſia.

Numerus in repetitione ſonorum ſimilium ſic habet: in repetitione ſonorum diſſimilium duo ſequũtur, Paronomaſia, & Polyptoton. Paranomaſia vel adnominatio eſt, cùm dictio literæ aut ſyllabæ alicuius commutatione, ſignificatione quoque commutatur: vt Verr. 2. Nam vt apertus in corripiendis pecuniis, ſic in ſpe corrumpendi iudicij. Pro Amer. Tametſi non modò ignoſcendi ratio, ſed etiam cognoſcendi conſuetudo de medio ſublata eſt. Cat. 1. Vt non emiſſus ex vrbe, ſed immiſſus in vrbem eſſe videatur. Ibidem: Hanc Reipub. peſtem pauliſper reprimi, non in perpetuum comprimi poſſe. Tale eſt illud Quintiliani: Emit morte immortalitatem: item, neminem poſſe alteri dare matrimonium, niſi penes quem ſit patrimonium. Martialis hinc ioci materiam arripuit:

Litigat & podagra Diodorus, Flacce, laborat:
Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra eſt.

Inde etiam illud eſt Catonis, cui cùm quidam dixiſſet, eamus deambulatum. Et iſte reſpoddiſſet: Quid opus eſt de? Imò verò (ait Cato) quid opus eſt te?

CAP. 22. de Polyptoto.

Polyptoton eſt, cùm eiuſdem originis variis caſibus voces inter ſe conſonant: vt Pro Cæl. Ipſius autem veneni quæ ratio fingitur? vbi quæſitum eſt? quo pacto? cui? quo in loco traditum? Æneid. 4.

Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis.——

7. Verr. Certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reſeruetur. De reſponſ. Homines te propter pecuniam iudicio liberarunt, hominibus iniuria tui ſtupri dolori non fuit! homines tibi arma, alij pòſt in illum inuictum ciuem dederunt:

hominum beneficia prorſus concedo tibi. Æneid. 5.

Hunc morē, hos curſus, atq; hęc certamina primus
Aſcanius, longam muris cùm cingeret Albam,
Rettulit. ——

Et apud Quintilianum, Non vt edam, viuo: ſed vt viuam, edo.

CAP. de Definitione, & diuiſione figuræ ſententiæ: ac primò de Exclamatione.

Figura dictionis, ſeu numerus eiuſmodi eſt: figura ſententiæ eſt figura, quæ totam ſententiam ſiue in logiſmo ea ſit, ſiue in dialogiſmo, aliquo animi motu afficit. In logiſmo eſt Exclamatio & Epanorthoſis, Apoſtrophe & Proſopepœia. Exclamatio eſt figura per aduerbium exclamandi expreſſum vel intellectum, magnúmque prorſus animi commouendi inſtrumentum, & eſt variorum quidem affectuum: Modò admirationis, vt pro Liga. O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monimētíſque decorandam!

Modò deſperationis, vt Pro Mil. O fruſtra mei ſuſcepti labores! ô ſpes fallaces! ô cogitationes inanes meæ!

Modò optationis, vt Ouid. Epiſt. 1.

O vtinam tunc cùm Lacedæmona claſſe petebat,
Obrutus inſanis eſſet adulter aquis!

Pro Pomp. vtinam Quirites, virorum fortium atque innocentium tantam copiam haberemus, vt hæc deliberatio vobis difficilis eſſet, quémnam potiſſimum tantis rebus ac tanto bello præficiendum putaretis.

Modò indignationis, vt in Piſ. O ſcelus! ô labes!

Modò irriſionis, vt ibidem, O ſtultos Camillos, Curios, Fabritios, Colatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! O amentem Paulum, ruſticum Marium!

Prô adhibetur ſæpe ad obteſtationem; vt in Andr.

Pro Deûm hominum fidem quid eſt, ſi non hæc
contumelia eſt?

En aliquando triſte quid & miſerabile præ ſe fert, vt Ecl. 1.

Impius hæc nam culta nóualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en quo diſcordia ciues
Perduxit miſeros! en queis conſeuimus agros?

Heu & eheu ſunt commiſerationis, vt 1. de Offic. O do*mus antiqua, heu quàm diſpari dominoq dominaris! Æn.* 1.

——tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchrámque vxorius vrbem
Extruis: heu regni, rerúmque oblite túarum! *Eclog.* 2.
Eheu quid volui miſero mihi! floribus Auſtrum
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.
Quem fugis ah demens!

Aliquando exclamatio eſt deprecationis & imprecationis, vt in Heaut.

Vt te quidem Dij Deæque omnes quantum eſt, Syre
Cum iſtoc inuẽto, cumq; incœpto perduint. *Æneid.* 2.
At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis,
Dij (ſi qua eſt cœlo pietas, quæ talia curet)
Perſoluant grates dignas! ——

Pro Deiotaro: Dij te perdant fugitiue! ita non modò nequam & improbus, ſed fatuus & amens es.

Epiphonema quoque ſpecies eſt exclamationis, quæ ad finem rei narratæ & explicatæ addi ſolet: vt cùm Virg. expoſuit omnes cauſſas, quibus Iuno Romonos perſequebatur, tandem acclamat, Æneid, 1.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Licentia etiam, quæ Græcis παῤῥησία dicitur, exclamatio

quædam

quædam videtur: vt pro Lig. Vide quàm non reformidem, vide quãta lux liberalitatis & ſapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur. Quantum potero, voce contendam, vt hoc pop. Romanus exaudiat. Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo ac voluntate ad ea arma profectus ſum. quæ erant ſumpta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cùm hoc ſciret, tamen me antequam vidit, Reipub. redidit. In hac licentia (ait Quintilianus) Orator non ſolùm ad vtilitatem Ligarij reſpexit, ſed magis laudare victoris clementiam non potuit. Quamobrem exclamatio vna magnas prorſus vires habet.

CAP. 14. de Epanorthoſi, & quàm varij eius vſus.

Epanorthoſis ſeu correctio eſt, quando antecedens aliquid reuocatur, & eſt ardoris in exclamatione proximi veluti reuocatio ſui ipſius, refrigeratio ac moderatio: vt Epiſt. 9. lib. 1. Erat hoc mihi dolendum: ſed multò magis illud, quod inimicum meum: meum autem? imò verò legum, iudiciorum, otij, patriæ, bonorum omnium ſic amplexabantur, ſic in manibus habebant, ſic fouebant ſic me præſente oſculabantur. Terent. in Heaut.

——Filium vnicum adoleſcentulum
Habeo: ah quid dixi habere me? imò habui Chreme,
Nunc habeam nécne incertum eſt. *Hîc igitur præteritum aliquid & dictum reuocatur: vt Pro Lig. Sed nimis vrgeo, commoueri videtur adoleſcens. Pro Cæl. Sed ego quid ita grauem perſonam induxi? Pro Mil. Sed finis ſit: neque enim præ lachrymis loqui poſſum: & hic ſe lachrymis defendi vetat. Hîc curſus orationis antecedens reuocatur, & quaſi pœnitentia facti ſignificatur. Ad Q. Frat. Sed neſcio quo pacto ad præcipiendi rationem delapſa eſt oratio*

mea, cùm id mihi propoſitum initio non fuiſſet.

Apoſiopeſis ſiue reticentia ſpecies eſt Epanorthoſis, qua ſententiæ inchoatæ curſus ita reuocatur, vt inde pars eius aliqua deinceps non dicta intelligatur, vt Pro Milone: An ille huius legis, quam Clodius à ſe inuentam gloriatus eſt, mentionem facere auſus eſſet viuo Milone, ne dicam Conſule? de noſtrûm enim omnium, non audeo totum dicere. Æneid. 1.

Iam cælum terrámque meo ſine numine venti
Miſcere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego? ſed motos præſtat componere fluctus.

Cap. 15. de Apoſtrophe.

Apoſtrophe ſeu auerſio eſt quando oratio ad alienam perſonam conuertitur, quàm inſtituta oratio requirit: Figura non multùm cedens elationis genere exclamationi, & perſæpe cum ea coniungitur.

Apoſtrophe autem ex conditione perſonarum, variè diſtingui poteſt: Aliàs enim ad humanam perſonam fit auerſio, vt cùm illud Ciceronis directè dictum ſit pro Murena: Negat fuiſſe rectum Cato, me Conſulem, & legis ambitus latorem, & tam ſeuerè geſto conſulatu cauſſam L. Murenæ attingere: cuius reprehenſio me vehementer mouet, non ſolùm vt vobis (iudices) quibus maximè debeo, verumetiam vt ipſi Catoni, grauiſſimo atque integerrimo viro rationem mei facti probem. A quo tandem, M. Cato, eſt æquius Conſulem defendi, quàm à Conſule? Quis mihi in Repub. poteſt aut debet eſſe coniunctior, quàm is, cui Reſpub. à me vna traditur ſuſtinenda, magnis meis laboribus & periculis ſuſtentata? Eodem modo cùm Anchiſes narrat Æneæ, quæ futura ſit poſteritas nepotum, Æneid. 6.

Eruet ille Argos, Agamemnoniáſque Mycenas,

Ipſúmque Eacidem, genus armipotentis Achilli:
Vltus auos, Troiæ, templa & temerata Mineruæ.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te Coſſe, relinquat?
Quis Gracchi genus, aut geminos duo fulmina belli
Scipiadas, cladem Lybiæ? paruóque potentem
Fabritium? vel te ſulco Serrane, ſerentem?
Quò feſſum rapitis Fabij? tu maximus ille es
Vnus, qui nobis cunctando reſtitues rem.

Hîc apoſtrophe eſt Catonem, Coſſum, Serranum Fabium.

Aliàs ab hominibus ad Deos fit auerſio, vt à Catilina, ad Iouem: Hiſce omnibus Catilina cum ſumma Reip. ſalute, & cum tua peſte ac pernicie, cúmque eorum exitio, qui ſe tecum omni ſcelere parricidióque iunxerunt proficiſcere ad impium bellum ac nefarium. Tum tu Iuppiter, qui iiſdem, quibus hæc vrbs, auſpiciis à Romulo es conſtitutus, quem Statorem huius vrbis atque imperij verè nominamus, hunc & huius ſocios à tuis aris ceteríſque templis, à tectis vrbis ac mœnibus, à vita fortuníſque ciuium omnium arcebis, & omnes inimicos bonorum, & hoſtes patriæ, latrones Italiæ, ſcelerum fœdere inter ſe ac nefaria ſocietate coniunctos, æternis ſuppliciis viuos, mortuóſque mactabis.

In apoſtrophe inuocatio inſignis eſt apud poëtas. Sic Æneid. 1. cum Poëta propoſuiſſet ſummam theſin totius Æneidos, tum ſic auertitur ad Muſam:

Muſa mihi cauſſas memora, quo numine læſo,
Quídve dolens regina Deûm, tot voluere caſus,
Inſignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit: tantæ ne animis cæleſtibus iræ? *Ouid. Meta.*
Dij cœptis (nam vos mutaſtis & illas)
Aſpirate meis, primáque ab origine mundi,

Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

Aliàs ad rem mutam & inanimatam velut ad perſonam, trãfertur oratio: Pro Mil. Religiones mehercule ipſæ aræque, cùm illam belluam cadere viderunt, commouiſſe ſe videntur, & ius in illo ſuum retinuiſſe. Vos enim Albani tumuli atque luci, vos (inquam) imploro atque obteſtor, vóſque Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ atque æquales, quas ille præceps amentia cæſis proſtratíſque ſanctiſſimis lucis ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat.

Hæc figúra raró quidem, ſed tamen aliquando protinus in procœmio adhibitur: Catil. 1. Quouſque tandem Catilina, abutêre patientia noſtra? quandiu nos etiam furor iſte tuus eludet? quem ad finem ſeſe effrænata iactabit audacia? Hic vero in ſenatu res agitur, ideóque directus ſermo ad Patres, vnde auerſio intelligitur.

CAP. 26. de Proſopopœia.

Proſopopœia ſeu fictio perſonæ eſt. qua velut alienam perſonam oratione noſtra loquentem fingimus: vt Cæſ. 1. Com, de legatis Heluetiorum: Qui dicerent ſibi in animo eſſe, ſine vllo maleficio iter per prouinciam facere: propterea quod iter nullum haberent aliud, rogare vt eius voluntate id ſibi facere liceat: Pro lege Manil. Hi vos (quoniam liberè loqui non licet) tacitè rogant, vt ſe quoque, ſicuti cæterarum prouinciarum ſocios, dignos exiſtimetis, quorum ſalutem tali viro commendetis.

Aliquando & acceſſus ad proſopopæiam, & receſſus decorus in primis eſſe debet. Sic pro Cælio excitatur Appius cæcus ad obiurgandam Clodiæ libidinem: Exiſtat igitur (ait Orator) ex hac familia aliquis, ac potiſſimum cæcus ille: minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit, qui pro-

fectò ſi extiteret, ſic aget & ſic loquetur (hîc apparatus eſt adſpeciem quandam proluſionis, deinde vox & oratio Appij fingitur) Mulier quid tibi cum Cęlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris huic fuiſti, vt aurum commodares? aut tam inimica, vt venenum timeres? Non patrem tuum videras, non patruum, non auum, proauum, atauum audieras conſules fuiſſe? non denique modò te Q. Metelli matrimonium tenuiſſe ſciebas, clariſſimi & fortiſſimi viri patriæque amantiſſimi, qui ſimul ac pedem limine extulerat, omnes propè ciues virtute, gloria, dignitate ſuperabat? cui cùm ex ampliſſimo genere in familiam clariſſimam nupſiſſes, cur tibi Cælius tam coniunctus fuit? cognatus? affinis? viri tui familiaris? nihil horum? Quid igitur fuit, niſi quædam temeritas, ac libido? Nónne te ſi noſtræ imagines viriles non commouebant, ne progenies quidem mea Q. illa Claudia æmulam domeſticæ laudis in gloria muliebri eſſe admonebat? Non virgo illa Veſtalis Claudia, quæ patrem complexa triumphantem, ab inimico tribuno plebis de curru detrahi paſſa non eſt? Cur te fraterna vitia potiùs, quàm bona paterna, & auita, & vſque à nobis cùm in viris, tum etiam in fœminis repetita, mouerunt? Ideóne ego pacem Pyrrhi diremi, vt tu amorum turpiſſimorum quotidie fœdera ferires? Ideò aquam adduxi, vt ea tu inceſtè vterêre? Ideò viam muniui, vt eam tu alienis viris comitata celebrares? Hæc proſopopeia eſt Appij Claudij: ad quam deponendam breuis reuocatio ad extremum ponitur his verbis: Sed quid ego (iudices) tam grauem perſonam induxi? vt & verear ne ſe idem Appius repentè conuertat, & Cælium incipiat accuſare illà ſua grauitate cenſoria. Sic Æneæ proſopopœiam Virgilius Æneid. 1. compoſuit, cùm Æneas ſociis cibum vinúmque,

Diuidit, & dictis mœrentia pectora mulcet:
O ſocij (neque enim ignari ſumus ante malorum)
O paſſi grauiora! dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem. penitúſque ſonantes
Acceſtis ſcopulos, vos & Ciclopea ſaxa
Experti, reuocate animos mœſtúmque timorem
Mittite: forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium, ſedes vbi fata quietas
Oſtendunt, illic fas regna reſurgere Troiæ:
Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.
Talia voce refert, curíſque ingentibus æger,
Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Hîc poëta Æneam non humeris, ſed verbis ita ſuſtinuit, vt Æneas ipſe Æneam veriùs exprimere non potuerit. Eadem figura licet mutis & inanimatis rebus ſermonem dare: cuiuſmodi illa ſunt in Catilinam maiorum laterum cùm patriam loquentem Orator inducit: Si te (ait) parentes timerent atque odiſſent tui, neque illos vlla ratione placare poſſes, vt opinor, ob eorum oculis aliquò concederes: nunc te patria, quæ communis eſt omnium noſtrûm parens, odit ac metuit, & iamdiu de te nihil iudicat, niſi de parricidio ſuo cogitare, huius tu neque auctoritatem verebere? neque iudicium ſequere? neque vim pertimeſces? Quæ tecum Catilina ſic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum iam tot annos facinus extitit. niſi per te: nullum flagitium ſine te: tibi vni multorum ciuium neces, tibi vexatio, direptióque ſociorum impunita fuit ac libera: tu non ſolùm ad negligendas leges & quæſtiones, verumetiam ad euertendas perfringendáſque valuiſti. Superiora illa, quanquam ferenda non fue-

rint, tamen vt potui, tuli: nunc verò me totam eſſe in metu propter te vnum, quicquid increpuerit, Catilinam timeri: nullum videri contra me conſilium iniri poſſe, quod à tuo ſcelere abhorreat, non eſt ferendum. Quamobrem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe, ſi eſt verus, ne opprimar: ſin autem falſus, vt tandem aliquando timere deſinam: Hæc ſi tecum, vt dixi, patria loquatur, nónne impetrare debeat, etiamſi vim adhibere non poſſit? Hîc vides quàm decorè & ſuſcepta, & depoſita ſit perſona. Et paulò pòſt talis in eadem oratione proſopopœia Reip. Etenim ſi mecum patria (quæ mihi vita mea multò eſt charior) ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſp. loquatur, M. Tulli, quid agis? &c. Tandem perſona ita deponitur: His ergo ſanctiſſimis Reip. vocibus, & eorùm hominum, qui idem ſentiunt, mentibus pauca reſpondebo. Sed ſatis de proſopopœia.

Intererit multùm Dauúſne loquatur, herúſve,
Maturúſve ſenex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus: an matrona potens, an ſedula nutrix:
Mercatórue vagus, cultórve virentis agelli:
Colchus an Aſſyrius, Thebis nutritus an argis.

CAP. 27. de Aporia, & eius vſu.

Figura ſententiæ in logiſmo adhuc fuit: ſequitur in dialogiſmo, & quidem interrogationis, & reſponſionis: in dialogiſmo interrogationis eſt Aporia, Anacinoſis, & Prolepſis. Aporia ſeu addubitatio eſt, cùm varias tanquam conſultationis rationes ſubinde interrogamus & deliberamus nobiſcum, quo in genere ſuſpenſis diutiùs audientium animis, aliquãdo inexpectatum quidpiam maius aut minus expectatione ſtatuit. Vt Pro Cluen. Equidem quòd ad me attinet, quò me vertam, neſcio: negem fuiſſe illam infamiam corrupti

iudicij? negem illam rem agitatam in concionibus? iactatam in iudiciis? commemoratam in ſenatu? euellam ex animis hominum tantã opinionem, tam penitus inſitam, tam vetuſtam? Non eſt noſtri ingenij, veſtri auxilij eſt (iudices) huius innocentiæ, ſic in hac calamitoſa fama, quaſi in aliqua pernicioſiſſima flamma, atque in cõmuni incẽdio ſubuenire. Æneid. 4.

En quid agam? rurſúſne procos irriſa priores
Experiar? Nomadúmque petam connubia ſupplex?
Quos ego ſum toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur claſſes, atque vltima Teucrûm
Iuſſa ſequar?

Tandem reſponſio addubitationis ſequitur:

Quin morere, vt merita es, ferróque auerte dolorem.

Phil. 2. Quid putem? contemptúmne me? non video, nec in vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenij, quid deſpicere poſſit Antonius. An in ſenatu facillimè detrahi poſſe credidit? Atqui ordo clariſſimis ciuibus bene geſtæ Reip. teſtimonium multis, mihi vni conſeruatæ dedit. An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium eſt: quid enim plenius, quid vberius, quàm mihi & pro me, & contra Antonium dicere? Illud profectò eſt: non exiſtimauit ſui ſimilibus probari poſſe, ſe eſſe hoſtem patriæ, niſi mihi eſſet inimicus.

CAP. 28. de Anacinoſi.

Anacinoſis vel communicatio eſt, cùm interrogamus ac deliberamus cum aliis: vt pro Quint. Ego pro te nunc hoc conſulo, poſt tempus in aliqua re, quod tu in tua re, cùm tempus erat, conſulere oblitus es. Quæro abs te C. Aquili, L. Lucullo, P. Quintili, M. Marcelle, vadimonium mihi non obiit quidam ſocius & affinis meus, qui cum mihi neceſſitudo vetus,

vetus, controuerſia de re pecuniaria recens intercedit: poſtulóne à Prætore, vt eius bona mihi poſſidere liceat? An cùm Romæ domus eius, vxor, liberi ſint, domum potiùs denuntiem, quid eſt quod hac tandem de re vobis poſſit videri? Profectò ſi rectè veſtram bonitatem atque prudentiam cognoui, non multùm me fallit, ſi conſulemini, quid ſitis reſponſuri: primùm expectare, deinde ſi latitare ac diutius ludificare videatur, amicos conuenire, quærere quis procurator ſit, domum denuntiare, dici vix poteſt, quàm multa ſint quæ reſpondeatis antè fieri oportere, quàm ad hanc rationem extremam neceſſariam deuenire.

CAP. 29. de Prolepſi.

Prolepſis eſt, cùm alieni conſilij interrogationem occupamus, eíque reſponſionem ſubiicimus: ideóque dialogiſmus hic à priore parte Occupatio, à poſteriore Subiectio dicitur. Occupatio ferè proſopopœiam coniunctam habet: vt Pro Amer. Credo ego vos (iudices) mirari, quid ſit cùm tot ſummi Oratores hominéſque nobiliſſimi ſedeant, ego potiſſimùm ſurrexerim, &c. Tandem reſponſio ſubiungitur: Quæ me igitur res præter cęteros impulit, vt cauſſam Sexti Roſcij reciperem? quia ſi quis iſtorum dixiſſet, quos videtis adeſſe, &c. multò plura dixiſſe, quàm dixiſſet, putaretur, &c. Ego ſi omnia liberè dixerò, nequaquam tamen ſimiliter oratio mea exire, atque in vulgus emanere poterit. Sic Verr. 1. Si quis veſtrum, iudices, aut eorum qui adſunt, fortè miratur, &c. Sic pro Cæl. Si quis, iudices, fortè nunc adſit ignarus legum, iudiciorum, conſuetudinis noſtræ: miretur profectò.

Eſt Prolepſis hæc procemiis valde accommodata: Pro Cęl. Dicet aliquis, hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? ob hanc cauſſam tibi hunc puerum parens com-

mendauit & tradidit, vt in amore & voluptatibus adoleſcentiam ſuam collocaret? & hanc tu vitam & ſtudia defenderes? Ego ſi quis (iudices) hoc robore animi, atque hac indole virtutis ac continentiæ fuit, vt reſpueret omnes voluptates, omnémque vitæ ſuæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret, quem non quies, non æqualium ſtudia, non ludi, non conuiuia delectarent, nihil in vita expetendum putaret, niſi quod eſſet cum laude & cum dignitate coniunctum: hunc mea ſententia diuinis quibuſdam bonis inſtructum atque ornatum puto. Ex hoc genere illos fuiſſe arbitror Camillos, Fabritios, Curios, omnéſque eos qui hæc ex minimis tanta fecerunt.

Occupamus aliquando iſto genere cogitationem noſtram, & obiicimus aduerſiaro, ipſúmque reſpondẽtem contrà fingimus: Pro Quint. De re pecuniaria cupio contendere: non licet. At ea controuerſia eſt: nihil ad me attinet. Cauſam capitis dicas oportet. Accuſa vbi ita neceſſe eſt. Non (inquit) niſi tu antè nouo modò, priore loco dixeris. Dicendum neceſſario eſt: præſtituendæ horæ ad arbitrium noſtrum. Iudex ipſe arceſſetur: quid tum? tu aliquem patronum inuenies, hominem antiqui officij, qui ſplendorem noſtrum & gratiam negligat?

CAP. 30. de Permiſſione.

Ergo hæ ſunt in dialogiſmo interrogationis figuræ ſententiæ: in dialogiſmo reſponſionis duæ ſuperſunt, Permiſſio, & Conceſſio. Permiſſio eſt, cùm facti cuiuſpiam licentia condonatur: vt Agr. 2. Si quid eſt, quod indagaris, inueneris, ex tenebris erueris, quanquam iniquum eſt, tamen conſume ſanè, quoniam commodum eſt, quoniam tu quidem attuliſti.

Aliquando Ironia permiſcetur: Æneid. 4.

——nunc & Ioue miſſus ab alto
Interpres diuûm fert horrida iuſſa per auras.
Scilicet, his ſuperis labor eſt, ea cura quietos
Sollicitat: neque te teneo, neque dicta refello.
I, ſequere Italiam ventis, pete regna per vndas.

Ironia in ſequenti exemplo apertior eſt pro Flacco: Litemus igitur Lentulo, perentemus Cethego, reuocemus eiectos, nimiæ pietatis & ſummi amoris in patriam vicisſim nos pœnas (ſi ita diis placet) ſufferamus.

CAP. 3. de Conceſſione, & eius vſu.

Conceſſio eſt, cùm dictum aliquod aut argumentum condonatur: vt Verr. 7. Sit ſacrilegus, ſit fur, ſit flagitiorũ omnium vitiorúmque princeps: at eſt bonus Imperator. Æneid. 10.
Italiam petiit fatis auctoribus: Eſto. *Æneid 7.*
Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.
Non dabitur regnis (eſto) prohibere Latinis:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.

Delectat hoc ornamentum in oratione præcipuè, cùm id concedimus, quod ei, cui conceditur, nocet: vt ſæpè fit in contentionibus & controuerſiis: Pro Lig. Habes igitur Tubero (quod eſt accuſatori maximè optandum) confitentem reum: ſed tamen hoc ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te Tubero: qua virum omni laude dignum patrem tuum. Itaque prius de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quàm Ligarij vllam culpam reprehendatis.

FINIS.

AVDOMARI TALÆI
Rhetoricæ liber Secundus, de Pronuntiatione ſiue Actione: ac primò quidem de voce.

CAP. I. Quid pronuntiatio, quot eius ſpecies: ac primùm de vocis moderatione.

ELocutionis (quæ prima pars facta eſt artis Rhetoricæ) præcepta in Tropis & Figuris expoſita ſunt: veniamus ad Pronuntiationem ſeu Actionem, partem alteram inſtitutæ artis & doctrinæ.

Ponuntiatio eſt apta elocutionis enuntiatio: eſtque in voce aut geſtu corporis: atque eorum generum alterum ad aures alterum ad oculos attinet: per quos duos ſenſus ad animum, omnis ferè cognitio peruenit. Vocis autem vnum eſt generale præceptum, ne ſit grauiſſima, néve acutiſſima. Nam ſubmiſſo illo murmure, debilitatur omnis intentio: contrà autem dicere omnia clamosè inſanum eſt. Itaque in intermediis interimum, ſubimúmque ſpatiis eſt conſiſtendum: hinc gradatim aſcendere vocem vtile & ſuaue eſt. Sed enim vocalis huius varietatis moderatrix eſſe debebit animi cogitatio. Hæc enim ſumma cauſſa eſt pronuntiationis, vt vox ſit animi interpres & nuntia. Sunt enim voces vt nerui in fidibus: atque ita ſonant, vt à motu animi ſunt pulſæ.

CAP. 2. de Voce in ſingulis Tropis.

Ratio igitur vocis erit in Tropis, vel in Figuris. De voce autem in ſingulis tropis ita Quintilianus præcipit: Proponamus nobis (ait) illud Ciceronis in oratione nobiliſſima prò Milone principium: nónne ad ſingulas penè diſtinctiones, quamuis in eadem facie, tamen quaſi vultus mutandus eſt? Etſi vereor (Iudices) ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere: Etiam ſi eſt toto propoſito contractum atque ſummiſſum, quia & exordium eſt, & ſollicitum exordium: tamen fuerit neceſſe eſt, aliquid pleniùs & erectiùs, dum dicit, Pro fortiſſimo viro: quàm cùm, Etſi vereor: & Turpe ſit: &, Timere, iam ſecunda reſpiratio increſcat oportet, & naturali quodam conatu, quò minùs pauidè dicimus quæ ſequuntur, & quo magnitudo animi Milonis oſtenditur: Miniméque deceat, cùm Titus Annius ipſe magis de Reip. ſalute, quam de ſua perturbetur. Deinde quaſi obiurgatio ſui eſt: Me ad eius cauſam, parem animi magnitudinem afferre non poſſe: Tum inuidioſiora: Tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos. Illa verò iam penè apertis (vt aiũt) tibiis: Qui quocunque inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum requirunt. Nam ſequens latum etiam atque fuſum eſt: Non enim corona conceſſus veſter cinctus eſt, vt ſolebat. Quod notaui, vt appareret non ſolùm in membris cauſſæ, ſed etiam in articulis eſſe aliquam pronuntiandi varietatem, ſine qua nihil neque maius, neque minus eſt. Hæc Quintilianus de pronuntiatione ſingulorum troporum: In qua troporum genera, ſi qua ſunt actuoſa, reluceant neceſſe eſt. Non enim aliter Ironia, neque Metaphora illuſtrior & animoſior intelligeretur.

CAP. 3. de Cantico, ſiue intentione & remiſſione vocis in figuris.

Sequitur vocis ratio in figuris omnis generis. Figuræ autem dictionum cùm totæ ſint in numeroſis dimenſionibus aut repetitionibus, continent illam ſine dubio intendendæ vel remittendæ vocis, acutæ, grauis, aut circunflexæ proſodiam & cantum, de quo Tullius & Fabius. Eſt (ait in Oratore Tullius) in dicendo etiam quidam cantus obſcurior, non hic è Phrygia & Caria Rhetorum epilogus, penè canticum: ſed ille, quem ſignificat Demoſthenes & Æſchines, cùm alter alteri obiiciat vocis flexiones. Dicit plura etiam Demoſthenes, illúmque ſæpe dicit voce dulci & clara fuiſſe. Hæc Tullius: ſequentia Fabius, cùm de quodam cantico dixiſſet: Tales ſunt (ait) illæ inclinationes vocis, quas inuicem Demoſthenes atque Æſchines exprobrant: nō ideò improbandæ: cùm enim vterque alteri obiiciat, palam eſt, vtrumque feciſſe: Nam neque ille per Marathonis, & Platearum, & Salaminis propugnatores recto ſono iurauit: neque hic Thebas ſermone defleuit. Hæc Fabius, vnde cantum quenquam orationis de vocis flectione & ſuauitate adhibitum ab oratoribus intelligimus, qui ſanè totus eſt in illis verborum figuris.

Sed tamen etiam cantus ipſe permiſcetur cum cæteris ſententiarum figuris, totíſque animi affectibus: Itaq; intendendæ vel remittendæ vocis in oratione tota, quæ eſt, in verbis ſingulis, proſodia eſt. Acutæ vocis exemplum eſt pro Lig. Vide Cæſar, quàm non reformidem, quanta lux tuæ liberalitatis & ſapientiæ mihi apud te dicenti oboriatur. Quantum potero voce contendam, vt hoc populus Romanus exaudiat. Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo ac voluntate ad ea arma profectus ſum,

quæ erant ſumpta contra te. Et hanc Orator ipſe contentionem vocis prędixit. Eſt acuminis diuerſa vox, & penè extra organum, cui Græci nomen amaritudinis dederunt, ſupra modum, ac penè naturam vocis humanæ acerba: vt cùm populus acclamatione aduerſa Ciceronem pro Rabirio agentem turbaret: Nihil (ait) me clamor iſte commouet, ſed conſolatur, cùm indicat eſſe quoſdam ciues imperitos, ſed non multos. Nunquam (mihi credite) pop. Ro. hic qui ſilet, Conſulem me feciſſet, ſi veſtro clamore perturbatum iri arbitraretur. Quantò iam leuior eſt acclamatio? Quin continetis vocem indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem paucitatis? Prima illa ſunt lentiora: poſtrema vocis amaritudinem illam habent.

Exemplum grauis & plenæ vocis eſt Phil. 2. Si inter cœnam in tuis immanibus poculis accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu verò pop. Rom. publicum negotium gerens, magiſter Equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſculentis vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribunal impleuit. In reditione collationis producenda ſunt omnia, trahendæ vocales, aperiendæ fauces, quo maior quàm antea fœditas exprimatur.

Vocis autem circunflexæ & moderatæ exemplum eſt pro Lig. Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? mauus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?

CAP. 4. De voce in ſingulis certíſque ſententiarum figuris.

Atque hæc de voce communia ſint omnium ferè figurarum: ſpecialia quædam ſunt in ſingulis ac certis ſententiæ figuris, quarum pulſum tactúmque voces exprimunt. Itaque

in alia figura, vocis aliud genus eſt. In miſeratione igitur vox erit flexibilis plena interrupta, flebilis: vt in illo Gracchanæ orationis loco: Quò me miſer conferam? quò vertam? in Capitoliúmne? at fratris ſanguine redundat: an domum? matrémne vt miſeram lamentantémque videam, & abiectam? Quæ à Graccho. Tullius ait acta ſic eſſe oculis, voce, geſtu, inimici vt lachrimas tenere non poſſent.

In iracundia vox contraria eſt, acuta, incitata, crebrò incidens: Phil. 2. O præclaram illam eloquentiam tuam, cùm es nudus concionatus! Quid turpius? quid fœdius? quid ſuppliciis omnibus dignius? Num expectas dum te ſtimulis fodiam? Hęc te, ſi vllam partem habes ſenſus, lacerat, hæc te cruentat oratio. Vereor ne imminuam ſummorum virorum auctoritatem & gloriam: dicam tamen dolore commotus: Quid indignius, quàm viuere eum, qui impoſuerit diadema, cùm omnes fateantur iure interfectum eſſe, qui abiecerit? Talem vocem requirit reticentia illa:

Iam cœlum terrámque meo ſine numine venti. &c.

In metu, verecundia, contractus & hæſitans ſonus eſt: Terent. in Eun.

Totus Parmeno tremo horreóque, poſtquàm aſpexi hanc.

Talis vox Ciceronis fuit in pleriſque exordiis, vt pro Deiotaro etiam ſignificatur: Cùm in omnibus cauſſis grauioribus, C. Cęſar initio dicendi commoueri ſoleam vehementiùs, quàm videtur vel vſus, vel ætas mea poſtulare: tum in hac cauſa ita me multa perturbant, vt quantum mea fides ſtudij mei afferat ad ſalutem regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat.

In voluptate, tenerum, lene, effuſum, hilaratum vocis

genus

genus optatur: Qualis eſt illa vox Æneid. 1. pictum in tapetis Troiæ excidium intuentis.

Cõſtitit & lachrymãs, Quis iam locus (inquit) Achate?
Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?
En Priamus: ſunt hic etiam ſua præmia laudi:
Sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt.
Solue metus: feret hæc aliquam tibi fama ſalutem.

Dolor ſine commiſeratione, graue quiddam & imo preſſu ac ſono obductum requirit: In Piſ. Meminiſtíne cænum, cum ad te quinta ferè hora, cum C. Piſone veniſſem, neſcio quo è gurguſtio te prodire, inuoluto capite ſoleatum? & cum iſto ore fœdo teterrimam nobis popinam inhalaſſes, excuſatione te vti valetudinis, quòd diceres vinolentis te quibuſdam medicamentis ſolere curari: quam nos cauſam cùm accepiſſemus (quid enim facere poteramus) pauliſper ſtetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo, vnde tu nos cum improbiſſimè reſpondendo, tum turpiſſimè eructando eiecisti?

In blandiendo, faciendo, ſatisfaciendo, rogando, lenis vox & ſummiſſa eſt: Æneid. 4.

Méne fugis? per ego has lachrymas, dextrámque tuã, te
(Quando aliud mihi iam miſeræ nil ipſa reliqui)
Per connubia noſtra, per incœptos hymenæos:
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum: miſere domus labentis & iſtam,
Oro (ſi quis adhuc precibus locus) exue mentem.

CAP. 5. de Geſtu: & primò totius corporis ſubſequente vocem.

Hactenus de voce Geſtus ſeu venuſtus motus corporis vniuerſi, eiúſque partium ſupereſt. In toto corpore lex vna ſumma eſt, vt omnes vocis flexiones ſubſequatur geſtus, non

hic verba exprimens ſcenicus, ſed vniuerſam rem & ſententiam non demonſtratione ſed ſignificatione declarans, laterum inflectione hac forti & virili non ab ſcena & hiſtrionibus, ſed ab armis, aut etiam à palæſtra. Trunco igitur totius corporis Orator ſe ipſum moderetur, & virili laterum flexione, geſtúmque magis ad ſenſus, quàm ad verba accommodet.

Motus geſticulationibus ridiculus eſt: Sextus Tytius tam ſolutus & mollis in geſtu fuit (ſicut eſt in Bruto) vt ſaltatio quædam naſceretur, cui Tityus nomen eſſet: & Hortenſius, tanquã hiſtrio appellatus geſticularia Dionyſia, notiſſimæ ſaltatriculæ nomine, vt apud Gelliũ eſt, & nominatim à Cicerone dictũ, in motu & geſtu plus artis habuiſſe, quàm eſſet oratori ſatis. Sed in his immoderatum ſtudium reprehenditur.

Status verò corporis ſit ſecundum naturam erectus & excelſus: Etenim natura.

Os homini ſublime dedit, cœlúmque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Contraria autem nutatio & vacillatio, quàm indecora ſit, Curionis motus ille argumento eſt, quem Iulius (vt eſt in Bruto) in perpetuum notauit, cùm ex eo in vtramque partem toto corpore vacillante, quæſiuit, quis loqueretur è lintre: & Q. Sycinius, homo impurus, ſed admodum ridiculus: Is cum Trib. pl. Curionem & Octauium Conſules produxiſſet, Curióque multa dixiſſet ſedente Cn. Octauio collega, qui deuinctus erat faſciis, & multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus: Nunquam (inquit) Octaui, collegæ tuo gratiam referes, qui niſi ſe ſuo more iactauiſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent.

CAP. 6. De geſtu capitis in modeſtia & metu, frontis, & oculorum

Atque hæc de corporis vniuerſi geſtu: partium item ſua quædam ratio eſt, & quidem pręcipua capitis, cùm illo corporis ſtatu conſentientis. Demiſſo capite humilitas & modeſtia ſignificatur: & hoc geſtu Poëta verecundiam Reginæ exprimit Æn. 1.

Tum breuiter Dido vultum demiſſa, profatur.

Eundem modeſtiæ geſtū proponit Homerus Vlyſſis exemplo, quem dicit ſtetiſſe oculis in terram defixis, immitóque ſceptro, priùs quàm illam eloquentiæ procellam effunderet: Eóque geſtu par eſt Ciceronis timorem in principiis ſignificatum eſſe: quinetiam id teſtificatur oratione illa pro Deio. Cùm in omnibus cauſis, C. Cæſar, &c. Aſpectus vertitur eodem, quo geſtus corporis: exceptis, quæ aut damnanda, aut remouenda ſint, videamur auerſari: Æn. 3.

—— Dij talem terris auertite peſtem.

Æn. 1. Haud equidem tali me dignor honore.

Solo tamen capite geſtum facere, aut frequenter facere vitioſum ſcenicis doctoribus viſum eſt. Frontem ferire in dolore, Ciceroni videtur oratorium, Fabio autem ſcenicum.

Sed in ore ac vultu ſunt omnia: in eo autem ipſo dominatus eſt omnis oculorum. Vultus autem imago eſt animi, indices oculi. Quare cùm effeceris, ne quid ineptum aut vultuoſum ſit, tum oculorum magna debet eſſe moderatio: qui quot animi motus ſint, tot ſignificationes & commutationes habent. Tullius in Piſone cauillatur oculorum motum: Cùm eſſes interrogatus (ait) quid ſentìres de conſulatu meo, grauis auctor Calatinus, credo, aliquis, aut Africanus, aut Maximus, & non Cæſonius ſemiplacentius, Caluentius, reſpondes, altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, crudelitatem tibi non placere. Qualis illa nimirum

comici patris, interim concitati, interim lenis perſona eſt: ſimilis enim eſt inæqualitas narium, labrorum, mẽti, ceruicum, humerorum vitia magis notantur. Humeros iactabat Demoſthenes: ſed hoc vitium ita dicitur emendaſſe, vt cùm in anguſto quodam pulpito ſtans diceret haſta humero dependens immineret: vt ſi calore dicendi vitare id excidiſſet, offenſatione illa commoueretur.

CAP. 7. de Geſtu brachij tanquam teli vbi deceat, manus, & digitorum.

At brachium procerius proiectum, quoddam quaſi telum orationis eſt, continuóſque ac decurrentes locos maximè decet, & cùm ſpecioſius quiddam vberiúſque dicendum eſt: ſicut illud, Saxa atque ſolitudines voci reſpondent: expatiatur in latus, & ipſa quodammodo ſe cum militari iſto geſtu fundit oratio. Siniſtrum verò brachium, ſi quid eo agendum ſit, eo vſque alleuandum eſt, vt quaſi normalem amgulum faciat. Manus autem minùs arguta, digitis ſubſequens verba, non exprimens, tantùm poteſt, vt ſine hac trunca videatur actio. Nam cæteræ partes loquentem adiuuant, manus propè ipſa loquitur: Hinc Perſianum illud Saty. 4.

Ergo vbi commota feruet plebecula bile:
Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ,
Maieſtate manus.

Siniſtra autem ſola, nunquam geſtum facit: dextræ ſeſe frequenter accommodat. Sic iunctis manibus addubitatio illa Gracchana agenda eſt? Quò me miſer conferam? &c. Quantus verò ſit iunctarum manuum geſtus, exemplum Poëtæ demonſtrat Æn. 1.

Ingemit, & duplices tendens ad ſydera palmas
Talia voce refert: ô terque quatérque beati,

Queis ante ora patrum, Troiæ ſub mœnibus altis,
Contigit oppetere. —

Hîc Poëta geſtum præmonſtrauit. Manus verò complodere, & ſcenicum.

Atque hæc de vniuerſa manu: in cuius digitis, ſingularis geſtus quidam eſt: atque ille imprimis maxime communis, quo medius digitus in pollicem contrahitur, explicatis tribus, duoque medij ſub pollicem veniunt: & geſtus eſt inſtantior, & tribus pollice preſſis index ille (quo Craſſum in exprimendo animi dolere atque impetu, ſcienter vſum ſignificat Antonius) explicare ſolet. Is in exprobrando, & indicando (vnde ei nomen eſt) alternata ac ſpectante humerum mar.: paulùm inclinatus affirmat: verſus in terram vrget: aliquando pro numero vnitatis eſt. Eſt autem & ille verecundæ orationi aptiſſimus, quo quatuor primis leuiter in ſummum coëuntibus digitis, non procul ab ore, aut pectore fertur ad nos manus, & deinde prona ac paululùm prolata laxatur. Quintil. credit hoc modo cœpiſſe Demoſthenem in illo pro Cteſiphonte timido ſummiſſóque principio: ſic item formatam Ciceronis manum, cùm diceret: Si quid eſt in me ingenij (iudices) quod ſentio, quam ſit exiguum, &c. Atque digitorum geſtus tam inſignis eſt. vetat tamen Tullius, ne vllæ ſint argutiæ digitorum, ne ad numerum cadat articulus. Fit & ille habitus, qui pacificator in ſtatuis ſolet eſſe, qui inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab ore protenſo manum infeſto pollice extendit: qui quidem maximè placuit iis, qui ſe dicere ſublata manu iactabant.

CAP. 8. de Geſtu pectoris ferè ſcenicus, femoris, pedis.

In cæteris vitia ferè notata ſunt: vt pectus ac ventrem

proiicere: cedere etiam pectus Fabio ſcenicum eſt: At femur ferire (quod Athenis primus feciſſe creditur Cleon) vſitatum, & indignatos decet, & excitat auditorem.

In pedibus verò ſtatus & inceſſus obſeruatur. In dextrum ac læuum latus vacillare, alternis pedibus inſiſtendo, ridiculum eſt. Supploſio tamen pedis in contentionibus & incipiendis & finiendis eſt opportuna. Inceſſus permiſſus eſt Oratori, ſed rarus, & tantùm in cauſis publicis, vbi ſuggeſtum amplum & ſpatioſum eſt, vbi etiam multi ſunt Iudices: proindéque in ſenatu, vbi plures & in concione, vbi longè plurimi. Diſcurſare tamen ineptiſſimum vrbanéque Flauius Virginius interrogauit de quodam ſuo antiſophiſte, quot millia paſſuum declamaſſet.

FINIS.